

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Franz Buddeus

**Programma Paschale, De Resvrrectione Prima Apocalyptic, Frvctv
Resvrrectionis Christi : PP. Jenae D. XX. April. MDCCVII.**

[Jena]: Litteris Nisianis, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890556598>

Druck Freier  Zugang



B1

Fa-1092(31)

2

25.

24.

2

2

2

2


2



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn890556598/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890556598/phys_0003)

DFG



Apocal. XX, 4 - 6.

PROGRAMMA
PASCHALE,
DE
RESVRRECTIONE PRIMA
APOCALYPTICA, FRVCTV
RESVRRECTIONIS CHRISTI.
PP. JENA E.D. XX. APRIL. MDCCVII.
LITTERIS NISIANIS.

25.

24.

2





DEI GRATIA
GVILIELMVS HENRICVS

DVX SAXONIAE IVLIACI, CLIVIAE,
MONTIVM, ANGARIAE ET GVE-
STPHALIAE, LANDGRAVIS THV-
RINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRIN-
CEPS COMES HENNEBERGIAE, CO-
MES MARCAE ET RAVENSBERGAE,
SAYNAE ET WITTGENSTEINII, DY-
NASTA RAVENSTEINII.

RECTOR ACADEMIAE JENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.
CIVIBVS.



Inter pias, super Resurrectione Christi Sospi-
tatoris nostri meditationes, haud postre-
ma est, quæ de fructibus illius, & speciatim,
de RESVRRECTIONE PRIMA APOCA-
LYPTICA instituitur ex Apocalypsi Cap.
XX, vers. 4. 5. 6. Vbi Iohannes Scribit: *Vidi quoque thronos,*
& confederunt super illis, & iudicium datum est illis & (scil. vidi)

A 2

Ani-

25.
24.

Animas securi percussorum propter testimonium Iesu & propter Verbum Dei, & qui non adoraverant bestiam, neque imaginem eius, nec acceperant characterem in frontibus suis, aut in manibus suis, & vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annos. Reliqui vero mortuorum non reuixerunt, donec consumarentur mille anni. Hæc est RESURRECTIO PRIMA. Beatus & Sanctus, qui habet partem in RESURRECTIONE PRIMA: super hos (enim) mors secunda non habebit potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum ipso mille annos.

Fructum designat Resurrectionis Christi & communionem cum illa, dum ponit viventes, qui emortui erant, & regnantes cum Christo. Non integrum locum illustratum dabimus, ut ab aliis repetita repetamus denuo: quamobrem nec vastos Interpretum excursus hic transfereimus, multo minus præsumptæ hypothesi inservire, vel coniecturis elonginquo arcessere quædam aut ingenii viribus extorquere potius quam elicere fas erit. * Nec de remotoribus adeo consequentiis, ut non contempnendis subinde, solliciti erimus: neque de peculiaribus mysteriis, non clare traditis alibi in Scriptura, ex hoc loco demum exterebrandis. Ad genium & indolem huius libri, Stylumque Authoris, ad Scripturæ analogiam & Fidei regulam adstringemus cogitationes, Christiano prorsus instituto.

Spectaculum prodit Iohannes, mysterio plenum, imagines, & figuræ, quæ Sensus involvunt abstrusiores. Vidisse ait Apostolus, Spiritus Christi nempe dispensatione, suggesturi per serum species, quæ verborum virtute menti suo modo poterant insinuari. Is enim Sanctissimi Numinis olim mos erat, ut, priusquam mensuram Revelationum in Christo, nouique adeo Testamenti Luce impleuerat, multis diuersisque modis Se suæq; divinae Mentis sensa patefaceret mortalibus; modo rebus & imaginibus exteriori vigilantium sensu obiectis, modophantantia in dormientium

inge-

*Vid. exemplum apud VanderMeulen de Sign. Temporum &c. in dedic. vbi institut. suum exponit, & deinceps per totum opus.

ingestis. Alios alloquio dignabatur, alios mentis afflatus penitiore instinctuque percelebat ac collustrabat. *Hebr. I, 1. 2.*
 Neque diebus extremis istis, id est Nov. Testamenti tempore,
 ubi per Filium, in carne nimirum locutus esse dicitur, ab antiquis istis revelandi modis, cum incremento demum & diffusione lucis Euangelicæ uberiore per orbem, desitatis paulatim, abstinuit. luxta prophetiam *Ioelis Cap. II, 18. seq.*
 Ubi, cum de vniuersali effusione Spiritus S. super omnem carnem loquatur; prophetias, somnia & visiones subiicit, manifesto indicans, cum ordinariis donis Spiritus S. extraordinaria quoque & prophetica fore aliquando coniuncta.

Huc iam pertinet illa Vifio Iohannea, & reliqua in hac Apocalypsi contenta; ubi sane admirandum divinæ Sapientiæ se prodit temperamentum. Nam inter figurarum Imaginumque illarum contextum luculentas Fidei Sententias, pietatis inde & constantiæ regulas, veluti cimelia & pretiosas interponit margaritas; in primis vero gloriam Iesu Christi Sospatoris nostri, tum ut seueri Vindicis, tum ut gratiosi ac gloriovi Regis ac Domini prophetica grauitate illustrat: *Agni nempe illius occisi*, cuius est liber vita ab origine mundi scriptus. *Apoc. XIII, 8.* ut non opus sit in querelis obscuritatis fluctuare, * cum limpida haec fluminis claros in Mari illo profundo adspirent sensus; ita ut pius Lector variam populi Christi fortunam in his terris, ac gloriosum denique finem, ita prouidente ac dirigente Christo Rege, deprehendat. Et ad haec præcipue spectat, quod scribit Apostolus; *Beatus, qui legit & audit verba prophetie, & seruat ea, quæ ibi scripta sunt.* *Cap. I, 3.*

Nimirum Duo, veluti summa capita seu Fines principales sibi ob oculos posuit sanctus Scriptor, unum: Agnum gloriosum cum populo suo seu Ecclesia, alterum Satanam seu Draconem cum Mundo. Illam afflictam varie & gravissimis persecutionibus pressam, sed verbo Dei confirmata.

A 3 tam

* *Quales concessit Witsius de Sensu Epistol. Apocalypt. Cap. I, §. 2. Misc.*

25.

24.

tam & erectam, vindicatam à Rege, liberatam, & tandem in felicissimum Statum, id est, Gloriam æternam evectam. Hunc Christi & Ecclesiæ hostem infensissimum, roboratum ciuii potentia, idolorum cultorem, veri cultus Dei & Amicorum Agni Persecutorem, sed manu Dei potenti subinde repressum, pœnisque grauissimis fractum & debilitatum, tandemque in infernum præcipitatum.

Nucleus iste varijs, è V. Testamento & Prophetis præsertim figuris & imaginibus involvitur: Hinc Candelabra, Stella Babel, Ægyptus, plagæ Ægypticæ, Sodoma, Draco, Bestia, Angeli, tubicines, sigilla. Inde Jerusalem de cœlo, viætrices palmæ, chori triumphantium, Angelus cum æterno Evangelio, Ruina Babel, vincula & Lapsus Satanæ, Regnum milenarium. Denique Libri Aperti, Sanitas gentium, Arbor vitæ, Flumen e throno Dei, Templum in cœlesti Jerusalem, Lux æterna, diuina Maiestas in beatis gloriose resplendens.

Neque tamen generali tantum, sed & ad certa Tempora, Statumque Ecclesiæ determinato instituto ista expromit Iohannes. Nam sub initium ait, se ex Revelatione Iesu Christi ea servis Ipsius expositurum esse, quæ in breui, tempore nimirum, fieri oporteat *Cap. I, l. ἡτανει* quod repetit *Cap. 22, 6.* Etsi autem styli Iohannei & aliorum Apostolorum genius ita se habeat, ut breuitatis imo hōræ nomine complectantur omne istud interuallum, quod inde à Christo usque ad Comsummationem seculi excurrit: propiora tamen Ioanni tempora tanto magis includi & respici ab Ipso, cendum est, quod eodem *Cap. I, v. 19.* refert, mandatum scribendi, *qua vidit, qua sumi, & qua oporiet fieri posthas*, ubi adeo *præterita, præsentia, & quæ illa præsentia (tauroma)* sequuntur, conneccit, tanquam Argumentum Scripturæ suæ: nec certe Textus & scribendi ratio patitur, ut Epistolæ illæ Iohanneæ ad Ecclesiæ Asiaticæ scriptæ ex intentione Spiritus S. æstimentur emblemata & typi futurorum temporum septem periodis di-

distinctorum: * nisi quis vniuersam Scripturam in nasum cereum, & lusum ingenii detorquere velit.

Ecclesiæ itaque statum, Afflictiones & persecutio-
nes iam tum ipsius Iohannis tempore, innui & describi vix dubi-
tari potest ab eo, qui sine præcepta hypothesi rem expendit,
iuxta iam dicta: quibus accedit, quod de exilio suo in *Patmo*
insula Cap. I, 9. memorat, propter testimonium nempe Iesu eō e-
iectus. De *Antypa Martyre* in diebus suis occiso Cap. II, 13.
Eos, ad quos scribit, adhortatur sollicite ad constantiam &
fidelitatem, additis promissionibus excellentissimis de victo-
ria & exaltatione ad thronum Christi &c. Cap. II, III. & alibi.
De futuro a. tempore cum loquitur, quæ nimirum *breni fieri*
debeant, & deinceps, ut nullo solidō argumento intra quin-
gentos annos terminum constringendum esse ostendi pote-
rit, *nec nisi à posteriori & ab eventus quadam conuenien-
tia ad hanc illamue ætatem eiusque histotiam quoduis vati-
cinium referendum esse, concluditur, idque diuersimode;
ita illud facile ab omnibus dabitur, Ecclesiæ tristia fata, sed
simil Regis iustam vindictam recenseri in illis, quando vi-
disse se animas ait, petentes Sanguinis sui ultiōrem à Deo,
piorumque precibus exoratum esse Deum. Porro Ciui-
tatem Sanctam à gentilibus conculcatam iri, & bigam testi-
um veritatis singularem neci dandam, illorumque cadasuera
contra Ius fasque gentium prostituenda inque vias præte-
reuntium abiicienda fore indicat. Inter hæc pœnas gratif-
fimas memorat ab impiis hostibus & populi Christi persecu-
toribus exigendas, famem, gladium, pestem, terræ motus
ignem &c. absque tamen fructu emendationis: remansisse
enim è fatalibus plagis, qui nequaquam resipuerint, sed in
ado-

* Vid. post *Cocceium complures* alios, nominatim Ioh. *Bierman-*
in Clav. Apocalyptic Proph. qui Antecessoribus in ista hypo-
thesi, complura propria addidit, ut ipse in opere fatetur,
conf. all. ad Lect. magis vero exasciavit *Campeg.* Vi-
zingā in *Anacrisi Apocal.*

** Hugo Grotius hunc ponit terminum.

25.

24.

adorandis dæmoniis & simulacris aureis, argenteis, æreis & lapideis strenue perrexerint, nec iniustis cædibus, beneficiis, scortatione & furtis abstinuerint.

Præter ista generalius indicata singularem Christiani nominis hostem multo apparatu nec obscuris coloribus depingit. Videas ibi Draconem Impulsorem, Diabolum nempe cœtui sancto infensissimum: inde Bestiam, cui infernalis serpens virtutem thronum & potestatem impertiri dicitur; bestiam, inquam aduersus Deum, ciuisque Tabernaculum, & eos, qui in cœlis degunt, conuicia euomenitem, & blasphemias. Nec ita furor desit. Nam & bella molitiur aduersus Sanctos, & vincit suo modo, quos aggreditur. Habet illa comitem aliam seductricem, quæ PseudoProphetæ nomine exprimitur, signorum & prodigiorum fallaci specie famosi. Accedit Meretrix, quæ scortationis sua vino terram ineibriasse septemque capitum monstro insidere pronunciatur, cruorem Martyrum Iesu madefacta & conspecta. Horrendum Agmen! quod in perniciem Ciuitatis Dei coniurauerat. Stimulat & concitat Dracō, furit Belua, fallit Prophetæ insultat Babel, Roma Septicollis. Prosternitur furibunda turba potenti manu, coniicitur in Stagnum igais Bestia cum propheta Seductore, corruit Babel, revinctus Draco in mille annos, *in abyssum detrusus, clausus & signatus ne gentes amplius seduceret Apoc. XX, 1. 2. 3.*

Nunc vero thronos videt Ioannes, hic *Animas* Martyrum, & in Christo mortuos. Hic *Regnum Christi millenarium*, hic *vivos cum Christo regnantes*, hic *PRIMA* dicitur esse *RESURRECTIO*. Cuncta meliorem nunc & feliciorem populi Christi statum designant. *Primò* spectaculum thronorum, & qui federunt super eos. Est & thronus Maiestatis diuinæ, & throni plures in circuitu illius *Cap. IV, 2. 3. 4. &c.* throni promissi à Christo iis, qui Ipsum sequuntur *Matth. XIX, 28.* & qui vicerunt: dicti aliquando & Ipse thronus Christi *Apoc. III, 21.* non diuinæ Maiestatis.

Maiestatis, sed beatitudinis communicatione: Throni sunt signum & character Potestatis & Iudicii. Sich h. l. datum est eis iudicium & cap. II, 26. qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos virga ferrea. Est potestas & Iudicium Spiritus, in verbo & per verbum; quod est gladius ex ore Christi *Apoc.* XIX, 15. ex quo & in his terris & in futuro Judicio extremo iudicantur. At quinam Iudices? non exprimit hic Apostolus; At alibi Spiritus S. docet: *Sanctos iudicaturos mundum.* 1. Cor. VI, 2. id quod haud dubie fit Iudicio ecclesiastico, dum ex verbo Dei annunciant penitentibus remissionem peccatorum impenitentibus penas diuinias & damnationem: Ioh XX, 23. *Civili*, quando Christiani thronos Regios & Principales occupant, & regna mundi Christi fiunt *Apoc.* XII, 15. gloriose in futuro regno gloriae. *Matth.* XIX, 28. Non tam de hoc quam de duobus prioribus sermonem esse * h. l. docet partim indoles rerum quae hic in visione coniunguntur, reuineto enim diabolo & represso cum turba sua in seducendis gentibus, & excitandis persecutionibus Ecclesiae, per se patet, Eam quiete frui & regimine suo tum ecclesiastico tum ciuili splendidius, subinde enitescere, eoque minus impediti fungi: partim, quod post illa halcyonia millenaria de nouo demum turbæ grauissimæ excitantur. Inde etiam lux accedit *RESURRECTIONI* PRI-
MAE, quae hic sequitur.

Hoc enim alterum spectaculum Iohanneum est, quod cernit *Animas securi percussorum* proprie testimonium Iesu & propter verbum & (eorum) qui non adorauerant bestiam, neque imaginem eius &c. & vixerunt & regnarunt cum Christo. Poterat enim obueri, quid eos iuuent aurea Pacis & quietis Publicæ tempora, qui non defecerunt à vera fide ad idola, sed constantes permanerunt, at vita excesserunt.

B

runt,

* De istis conueniunt nobiscum è Vett. Augustiaus, Primasius è recentioribus D. Cluverus & alii,

24.

25.

runt, vel etiam martyrio eande m finerunt. *Hos igitur ait, vixisse, regnasse cum Christo, eosque opponit ceteris mortuis qui non renixerunt: Clare ostendens adeo, illos quoque pie vel etiam martyrio defunctos interea, dum fideles in regno gratiae ex voto agunt, beatos esse, vivere, regnare cum Christo.* Videamus autem quomodo: tum ex ipso Iohanne, tum aliis Scripturis. Sic enim ille hoc libro Cap. III. 9. 10. 11. *Redemisti nos Deo per sanguinem tuum, & fecisti nos Deo nostro Reges.* En officium Christianorum regium, II, 10. *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vita, hic habes regiam coronam.* Cap. II, 26. qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea dabo ei potestatem. Sic potestatem quoque regiam exprimit Iohannes. Post victoriam & constantiam usque ad mortem demum promittitur corona & potestas regia, & tamen etiam antea dicuntur reges & sacerdotes iam tum in sanguine Christi facti. Cap. I, 5. cui consentit Petrus 1, 2, 3, 9. hinc & in Christo vivificati iam in ipsa conuersione, vnde Paulus totum Mysterium ita proponit: *cum effemus moriui per delicta, VIVIFICAVIT, nos cum Christo, & cum eo RESVSCITAVIT & cum eo SEDERE FECIT* inter celestes in Christo Iesu Ephes. II, 5. 6. Ergo fidelis Dei populus iam in Regeneratione & Conuersione, in Christo & cum Christo est resuscitus, vivificatus & inter celestes translatus regnat, sed ita ut plenior & perfectior gradus supersit, qui nimur omnem mortalitatem omnemque peccati & mundi seruitutem tollit, quo pertinent promissiones de futuro, veluti & illa: *qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuit nec morietur in eternum.* Iob, XI, 25. Nimur Christus suo merito acquisivit ζωὴν τὴν αὐθαρεσταν, II. Tim. I, 10. Regnum generosius & libertatem ab omni turpi seruitute, & potestatem iudicandi Mundum & Angelos, quæ Beneficia & characteres per baptismum & conuersionem applicat, & in statu gloria perficit: ita ut in initio Fidei inchoentur in nobis, post

post mortem & iudicium consummentur: quomodo iam
 in his terris fideles cum Christo vivere, regnare, & cum
 ipso resurrexisse pronunciat Spiritus: ut tamen pleniore & il-
 lustriore modo resurrexisse, vivere & regnare in altera vi-
 ta afferat, qui vero gradus & ipse sua diversa veluti
 puncta habere intelligitur. Cum enim Anima fidelium
 ad Deum redit, ubi beata & cum Christo vivit, re-
 gnat, iam cum Christo & in Christo plene resurrexit,
 spiritualiter, prout illa, per peccatum nempe prius la-
 psa, mortique spirituali adeo obnoxia facta prorsus ab illa li-
 berata est, & sanguine Christi purificata intravit vitam si-
 ne morte, regnum cœlorum: Corpore interim fœdere
 sanguinis non modo signato, sed & irrefragabili adeo necessi-
 tate suo tempore resurrecturo & uniendo: quod quid aliud
 est, quam veluti secunda quædam resurrectio in Relatione
 ad illam primam, cuius demum unius & solius, qui par-
 ticeps est, liber est a morte secunda, ita ut nullam ~~experi-
 eri~~, potestatem habeat in ipsum: id est ab inferno & dam-
 natione. Hinc Apostolus supra Cap. I, ii. ait: qui vice-
 rit nempe, ut anteced. vers. fidelis usque ad mortem man-
 serit, non lœdetur a morte secunda; nulla nempe mors tum a-
 lia restat, quam æterna damnatio, illi scilicet, qui non
 in fide moritur. * Fideles quidem iam in Christo sunt li-
 beri a morte & damnatione æterna, ut nullum sit ~~xarâ-
 ngipæ~~ in Ipsis Rom. VIII. 1. attamen non ita, quin ipsum
 peccatum inhærens etiam fidelibus, mortem æternam per
 se, mereatur, quæ proinde in concupiscentia, etiam in
 regenitis adhuc residua se movet veluti & lœdit quodam-
 modo, ut cogantur exclamare cum Paulo: Mis̄er ego ho-
 mo

B 2 mo

* Refutat Biermannus Iohannem d' Espagne, quod malè in
 tellegerit mortem secundam, sed nec ipse melius
 mortem secundam, ait esse, totalem & finalē, defe-
 ctionem ab agnita veritate: Ex Domestica hypo-
 thesi sua.

25.
24.

mo quis me eripiet ex corpore ^{te} davarat ^{et} Rom. VII,
 24. Itaque cum esse extra potestatem & laetitiam mortis
 secundæ, damnationis æternæ, certissimus character Re-
 surrectionis primæ a Spiritu S. notetur; et vero in hac
 vita uti sine peccato, ita nec sine sensu meriti mortis es-
 se queant fideles, etiam certum est: *Resurrectionem Primam*
 in hac quidem vita incipere in Christo & cum Christo,
 sed in egressu demum animæ ad Christum perfici, ut sit
rotata & consummata Resurrectio prima, quam deinceps cor-
 poris resurrectio ad vitam æternam sequitur.

Hoc igitur loco illam ipsam primam intelligi, quæ
 nimirum iam Christi merito acquisita in *Regeneratione &*
conversione per fidem applicata, ac morte in domino vel
 etiam Martyrio, & sic ingressu Animæ ad gloriam con-
 summata est, vix dubitari potest; nam *primo* Scriptura de
 nulla alia prima quicquam docet, unde nec licebit præ-
 textu prophetiæ singularis & peculiaris talem, quæ scri-
 pturæ & analogiæ fidei adversa est, fingere. *Secundo* conve-
 nit exquisitissime cum contextu & scopo: quippe cum
 supra aliquoties Animæ visæ sint ultionem sanguinis sui a
 Deo petere. & hoc loco atque in antecedentibus turba
 persecutorum prostrata & satanas ligatus dicatur inque
 abyssum præcipitatus; ex adverso Ecclesia militans seu
 regnum gratiæ meliori statui restituta; certa de Animarum
 quoque Martyrum aliorumque in domino & vero eius
 cultu demortuorum statu aliquid revelandum fuerat, ut
 militans & triumphans Ecclesia, sicut adeo in Christo,
 ita in status felicis fruitione colligaretur & hæstantibus
 omne dubium de præmio futuro constantiæ eriperetur.
Tertio: Reliqua quoque in contextu bene concordant:
 nam quod dicitur, reliquos mortuos, qui nimirum non
 in vera fide, vel etiam martyrio vitam finierunt, non
 revixisse, iam manifestum est, quid sit: cum sane vivere
 cum

cum Christo, regnare cum Christo, & ita cum eo resurrexisse, non sit impiorum, infidelium & Apostatarum. Nec quarto Chilias annorum hic quompiam turbare debet, sive enim mystice accipias & iuxta indolem figurarum & emblematum & indefinitae numerum certum pro incerto; millenarium pro longo tempore; sive determinate pro mille annis, iuxta utramque hypothesin obtinet sententia explicatio. Non tamen sequitur, illo praeterlapso vitam & regnum beatorum cum Christo cessare; cum terminus millenarius quidem etiam in illo regno ponatur, sed non *exclusiv*e, ut excludatur aeternitas: verum applicative, & relative in ordine ad ligationem Diaboli millenariam & beatum Regni gratia in his terris statum, ne quis putet: beatos Martyres aliosque fideles interea dormire aut gloriae expertes esse.* Ceterum Resurrectionem isthanc primam fructum esse Christi resurrectionis, iam non opus est demonstrare cum supradeductio ex illo ipso principio profluxerit & alibi passim apud Theologos res tractetur: Sed id forte desiderabitur potius, ad quam ergo atatem referamus illam ecclesiae felicitatem, cum qua & regnum millenarium & haec resurrectio prima combinatur? Ad Constantini M. inquam, & sequentem qui primus Religionem Christianam amplexus est, hoc enim Dei Ministro ita procurante desiderata iam diu totque votis a suspiriis expedita pace ac tranquillitate Dei beneficio Christianus Orbis est donatus. Quanta inde enata gaudia, quanta tripudia, dici non potest. Impendit huic argumento & felicitati universum, quae pacem hanc comitata est, Eusebius Historia Eccl. librum decimum opusque de Vita Constantini M. in multis, ** sed eleganter i-

B 3 stam

* Videas illa aliter quidem subinde apud alios & diversimode apud Theologos tractata, sed quae tamen in fundo consona sunt.

** Confer, praefer Nolitatis passim, ubi vel de regno


stam felicitatis periodum cœptam describit politissimus *Lactantius* de mortibus persecutorum, a celeberrimo Baluzio e Veteri Cod. manuscripto Bibl. Colbertinæ editus & notis illustratus, cui altera Editione plura accesserunt.* Sic autem ille ad Donatum:** Restituta per orbem tranquillitate, profigata nuper Ecclesia rursum exsurgit. & maiore gloria templum Dei, quod ab Impiis fuerat, eversum misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes, qui tyranorum nefaria & cruenta Imperia resciderunt, humano generi providerunt, ut iam quasi discessu transacti temporis nubilo mentes omnium pax incunda & serena latifiset. Nunc post tanta tempestatis violentos turbines placidus aer & optata lux resulset. Nunc placatus servorum suorum Deus iacentes & afflictos cœlesti auxilio sablevavit. Nunc merentium lachrymas extincta impiorum conspi-
racione deterxit, qui aduersati erant Deo, iacent &c. Neque tamen existimandum, istam Satanæ Ligationem omnimodo virum Satanæ Reptessionem utpote nuspian Ecclesiæ militanti, promissam continere. Sed Induciarum aliqua veluti pauca à publica, sanguinaria, aperte hostili & universali in Christianos, quæ Christiani sunt, persecutione censenda est. Cœterum & hæc halcyonia & illa prima Resurrectio fructus sunt victoriæ & resurrectionis exinaniti prius, sed exaltati deinceps Domini nostri Iesu Christi: quam celebremus grato animo, vitamque nostram ita magis magisque instituamus, ut digne ambulemus tanto Evangelio. Ipse Dominus nos ser victor & triumphator conterat Satanam sub pedes ve-
stros in taχei. Valete,

Christi gloriose, vel de Chiliasmo agunt, aliosque utilem & elegantem de statu & successi, Eccles. occident. Jacob. Usserii, qui cum studio ibi præsentem materiam tractat.

* Henrici Dodwelli iudicium de illa Editione vid. in dis-
sertat. Cyprian.

** Lactantius De mort. Pers. l. 1. c. 1.

S. D. G.










Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn890556598/phys_0025](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890556598/phys_0025)

DFG





¶ (13) ¶

regnare cum Christo, & ita cum eo resur-
it impiorum, infidelium & Apostatarum. Nec
as annorum hic quempiam turbare debet,
ut scilicet accipias & iuxta indolem figurarum
im & indefinitae numerum certum pro in-
tariarum pro longo tempore; sive determina-
annis, iuxta utramque hypothesin obtine-
explicatio. Non tamen sequitur, illo præ-
n & regnum beatorum cum Christo cessare;
is millenarius quidem etiam in illo regno po-
son *exclusive*, ut excludatur æternitas: verum
& relative in ordine ad ligationem Diaboli
& beatum Regni gratia in his terris statum,
t: beatos Martyres aliosque fideles interea
gloriae expertes esse.* Ceterum Resurrectio
primam fructum esse Christi resurrectionis,
us est demonstrare cum supra deducio ex illo
o profluxerit & alibi passim apud Theologos
: Sed id forte desiderabitur potius, ad quam
referamus illam ecclesiæ felicitatem, cum
in millenarium & hæc resurrectio prima com-
onstantini M. inquam, & sequentem qui primus
Christianam amplexus est, hoc enim Dei
procurante desiderata iam diutotque votis ac
etita pace ac tranquillitate Dei beneficio Chri-
s est donatus. Quanta inde enata gaudia,
dia, dici non potest. Impendit huic argu-
licitati universum, quæ pacem hanc cœmi-
lebius Historia Eccl. librum decimum opusque
constantini M. in multis, ** sed eleganter i-
magine etiam in aliis apud Theologos tractata, sed que tamen in fun-
ciona sunt.
, præter Nostros pessim, ubi vel de regno

24.

25.